



PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Communicationes

VOL. XLII • N. 1

2010

**SPECIALIS COMMISSIO PONTIFICIA
COETUS STUDII « DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA»**

**Sessio II^a
(diebus 4-6 novembris 1971 habita)**

Diebus 4-6 novembris a. 1971, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Sodales Pontificiae Commissionis Specialis a Summo Pontifice constitutae ad redigendas normas de procedura administrativa.

Interfuerunt sequentia membra Commissionis: Exc.mi Aurelius Sabattani et Franciscus Reh; Rev.mi Raimundus Bidagor, Iosephus Pinto, Thomas Mundy, Aemilius Eid, Arcangelus Ranaudo, Henricus Straub, Paulus Wirth, Robertus Kennedy, Adam Maida, Guillelmus O'Connell et III.mus Pius Ciprotti.

Adunationibus praefuit Rev. Rev.mus Secretarius ex delegatione Cardinalis Periclis Felici, Praesidis, laboribus Synodi Episcoporum detenti; III.mus Ciprotti munere Relatoris, Rev. Franciscus Voto munere actuarii functus est.

Omnes Sodales habuerunt ante tempus relationem laborum praecedentis Sessionis diebus 1-5 iulii 1971 habitae et novum schema canonum de procedura administrativa a Relatore iuxta deliberationes Sodalium, in eadem Sessione factas, paratum.

In litteris convocationis sequens ordo laborum propositus fuit Sodalibus pro praesenti Sessione:

- num textus novus canonum de procedura administrativa conformis sit conclusionibus in praecedenti Sessione factis;
- num placeant normae cann. 18 et 22 de quibus nihil disputatum est in Sessione praecedenti;
- num in nova lege de procedura administrativa quid inserendum sit de re poenali et, quatenus affirmative, satisne sit si adhibeantur canones 53 § 1, 54, 55 schematis iuris poenalis a Pontificia Commissione Codici Iuris Canonici recognoscendo redacti.

**Adunatio I^a
die 4 novembris 1971 mane habita**

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Sodalibus et petit num ipsi approbent relationem laborum praecedentis Sessionis.

Omnes Sodales relationem apprabant.

Deinde Rev.mus Secretarius rogat Relatorem ut ipse quaestiones discep-tandas et ordinem laborum proponat.

Ad ordinem laborum quod attinet Relator censem melius esse si singuli ca-nones, novi schematis de procedura administrativa, unus post alium exami-nentur ita ut de unaquaque norma dicatur placeatne et nonne forte conformis sit conclusionibus in praecedenti Sessione factis.

Relator a limine declarat se, in novo schemate redigendo, aliquas quaestio-nes non solvisse, quamvis in praecedenti Sessione de ipsis discussio habita fue-rit, scilicet:

- de recursu a delegato ad delegantem;
- de transitu a tribunali administrativo ad superiorem hierarchicum;
- de experienda compositione amicabili antequam proponatur actio de-damnis.

De his et aliis quaestionibus quae forte occurrant discussio erit post ex-a-men novi schematis.

Rev.mus primus Consultor exponit suam mentem circa opportunitatem includendi in schema de procedura administrativa omnes normas speciales per-tinentes ad quosdam processus administrativos, ut puta processus pro remo-tione parochorum, pro dispensatione super rato, pro applicandis poenis per de-cretum etc., ita ut in uno eodemque schemate omnes casus processus admini-strativi habeantur.

Relator, cui assentiunt alii Sodales, censem melius esse si normae generales de procedura administrativa habeantur separatae ab aliis normis, quae tractant de singulis processibus specialibus.

Omnibus Sodalibus placet ordo laboris propositus a Relatore et ideo inci-pit examen singulorum canonum novi schematis.

Canon 1

«Quae hac lege de decretis extra iudicium latis statuuntur, item applican-da sunt ad rescripta, praecepta, dispensationes, licentias, ceterosque admini-strativos actus singulis datos, extra iudicium lata, iis exceptis actibus, qui ab ipso Romano Pontifice vel a Concilio Oecumenico ferantur».

a) Post aliquam suggestionem Rev.mus secundus Consultor, cui vide-batur quaedam lacuna adesse in schemate circa activam prolationem decre-ti ex parte competentis auctoritatis, Relator censem talem speciem lacunae di-sparere si in canone 1º vitentur verba temporis praeteriti ut «latis», «datos», «lata».

Relatoris erit aptiora verba adhibere ita ut in novissima redactione schematis illa species lacunae dispareat.

b) Rev.mus tertius Consultor improbat verbum « *rescripta* » quia non omnes tenent *rescripta* esse actus administrativos.

Relator respondit in canone nihil dici de natura rescriptorum sintne ea actus administrativi. Aequivocatio forsan haberi potest ex verbis « ceterosque administrivos actus », quasi supponatur omnes actus antea recensitos esse actus administrativos. Ad tollendam talem aequivocationem comma ita emendabitur: «... et generatim omnes administrativos actus qui singulis dantur...».

c) Rev.mus tertius Consultor quaerit actusne qui feruntur a Romano Pontifice, de quibus sermo fit in canone, sint omnes actus qui approbantur a Papa sive in forma communi sive in forma specifica.

Relator respondet hic agi tantum de actis qui approbantur in forma specifica: ii tantum actus excluduntur ab hac lege de procedura administrativa.

d) Rev.mus quartus Consultor censem verba « *vel a Concilio Oecumenico* » esse inutilia quia numquam Concilium Oecumenicum dabit decreta « *pro singulis personis* ».

Relator respondet ex historia constare non defuisse casus alicuius actus Concilii singulis dati, neque absonum est praefigurare aliquem casum qui in posterum accidere potest ut puta si Concilium decreto suo destituat Secretarium generalem et ita huiusmodi.

e) Rev.mus quintus Consultor animadvertisit verba « *actus singulis datos* » non comprehendere actus qui dantur communitatibus, de quibus tamen pari iure ac de actibus singulis datis providendum est.

Relator proponit ut dicatur: « *actus singulis personis vel communitatibus datos* ». Non sufficit ut dicatur tantum « *singulis personis* », quia adsunt communitates non erectae in personam moralem. Verum est quod sub verbo « *vel communitatibus* » aliquis intendere posset totam quamdam paroeciam vel dioecesim, sed iurisprudentiae erit talem interpretationem excludere.

Omnis Sodales concordant cum Relatore circa omnes responsiones vel propositiones factas de can. 1.

Canon 2

« Hac lege nihil mutatur de iure vigenti quod attinet ad recursus adversus decretorum, quae a superioribus vel capitulis in religionibus iuris pontificii ferantur ».

Rev.mus quartus Consultor censem a nova lege esse excludendos recursus contra decretorum lata non solum a superioribus vel capitulis religionum iuris pon-

tificiis, sed etiam recursus contra decreta lata in religionibus cuiuscumque generis; id est Rev.mus quartus Consultor proponit ut in hac nova lege nihil praejudicetur circa peculiares normas quae ordinare debent proceduram administrativam religiosorum. Talis enim videtur esse sensus deliberationis quam Coetus fecit in praecedenti Sessione.

Excutiuntur sententiae omnium Sodalium circa hanc quaestionem et post aliquam discussionem decernitur exclusos iri a nova lege recursus contra decreta quae ferantur a superioribus vel capitulis:

- a) in religionibus iuris pontificii;
- b) in institutis saecularibus iuris pontificii;
- c) in societatibus de quibus in cann. 673-681 CIC.

Relator quaerit num eadem norma § 2 statui debeat quod attinet ad actiones de damnis quae forte oriuntur ex decreto lato a superiore vel capitulo religiosorum et Rev.mus Secretarius respondet affirmative una cum aliis Sodalibus.

Canon 3

« Item hac lege nihil mutatur de iure vigenti quod attinet ad leges, ordinationes, instructiones, decreta generalia, aliosque eiusmodi actus ferendos vel impugnandos. Earum autem normas, quas legi vel ordinationi superioris auctoritatis adversari iudicet, iudex sive in tribunalii ordinario sive in tribunalii administrativo applicare non potest; quod si in quolibet iudicij stadio constet quaestionem de normae invaliditate iam ad Apostolicam Sedem ab aliquo ecclesiastico superiore esse delatam, tribunal debet iudicium suspendere, Apostolicam Sedem certiorem faciens eiusque responsum exspectans ».

- a) Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur « Earum autem *praescrita* » loco « Earum autem *normas* » ratione claritatis (placet n. 8; non placet n. 4).
- b) Rev.mus secundus Consultor proponit suppressionem verborum « sive in tribunalii ordinario sive in tribunalii administrativo » (placet omnibus).
- c) Rev.mus sextus Consultor proponit additionem verbi « rite » in ultima parte canonis ita ut comma sic sonet: « ... quod si in quolibet iudicij stadio *rite* constet quaestionem etc. ».

Sed Relator respondet spectare ad iudicem ut investiget num notitia impugnationis normae apud Sanctam Sedem sit bene fundata; ideo verbum « *rite* » non est addendum. Ceteri Sodales concordant cum Relatore.

d) Rev.mus septimus Consultor quaerit quinam sit superior de quo in commate «ab aliquo ecclesiastico superiore esse delatam».

Relator respondet rem relinqu posse interpretationi ipsius tribunalis (placet omnibus).

Rev.mus secundus Consultor proponit ut verbum «superior» scribatur litera grandi et Rev.mus quartus Consultor proponit ut dicatur «ab aliquo Superiore ecclesiastico» loco «ab aliquo ecclesiastico superiore» (placet omnibus).

Canon 4

«Quae hac lege statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur in canonibus, qui de singulis negotiorum generibus normas dant; quod vero attinet ad rationem procedendi et ad iudicium et advocatorum qualitates, lex particularis, a conferentia Episcoporum nationali vel ab Episcopo lata, alias normas, ad liceitatem servandas, addere potest, quae praescriptis iuris communis non derogent».

Rev.mi septimus et primus Consultores proponunt ut tantum Conferentiae episcopali, non autem Episcopo, tribuatur facultas ferendi leges particulares circa rationem procedendi et circa qualitates iudicium et advocatorum, ut habeatur maior uniformitas in lege processuali.

Relator proponit ut supprimantur verba «a Conferentia episcopali nationali vel ab Episcopo lata» et dicatur tantum «... lex particularis alias normas ... addere potest».

Sed Rev.mus primus Consultor meminit in praecedenti Sessione introduc tam fuisse expresse specificationem de Conferentia episcopali, quia secus Conferentia non haberet potestatem legiferandi in hac materia.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit Episcopo negari non posse facultatem ferendi leges particulares in hac materia, quia ad ipsum pertinet sin minus dare normas de compositione amicali.

Post aliquam discussionem decernitur ut facultas tribuatur sive Conferentiae episcopalibus sive Episcopis prout habetur in formula Relatoris, suppresso tamen verbo «nationali», quia in usu communi sub nomine Conferentiae episcopalibus veniunt tantum Conferentiae nationales.

Relator proponit ut comma ita redigatur: «... lex particularis, *etiam* a Conferentia episcopali vel ab Episcopo lata, alias normas, etc...». Verbum «*etiam*» ponitur ad innendum quod etiam Sacrae Congregationes suas leges particulares, de quibus in hoc canone, habere possunt.

Propositio Relatoris omnibus placet.

Adunatio II^a
die 4 novembris 1971 vespere habita

Canon 5

« § 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior, quatenus fieri possit, necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino superfluum sit, eos omnes audiat, quorum interest; petitori vel recurrenti, et etiam legitime contradicenti, notitias et probationes omnes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possint, et rationes forte contraria ostendat, data eis facultate respondendi, et etiam, dum ne id celeritati noceat, patronum vel peritum constituendi.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus adversus aliud decretum deciditur, recurrentis semper ius habet advocationem vel procuratorem adhibendi, viatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrentis patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrentis ipse compareat, ut interrogetur».

Circa § 1 sequentes animadversiones fiunt:

a) Rev.mus octavus Consultor censet adesse quandam contradictionem inter verba «quatenus fieri possit» et «*necessarias* notitias et probationes», quia si notitiae et probationes sunt *necessariae* superior debet semper illas exquirere.

Relator et Rev.mus tertius Consultor negant talēm contradictionem quia aliquando extant rationes opportunitatis propter quas dispensari potest ab illa inquisitione notitiarum et probationum.

Suffragatur placeatne supprimere verba «quatenus fieri possit»:

Placet n. 9; non placet n. 3.

b) Rev.mus secundus Consultor censet nimium requiri a superiore ut «eos *omnes* audiat, quorum interest» antequam iudicium ferat; per verbum «*omnes*» conferuntur iura nimis lata ita ut unusquisque christifidelis, ex. gr. in divisione paroeciae, posset impugnare decretum Episcopi quia ipse auditus non fuit.

Rev.mus primus Consultor censet verbum «*omnes*» servari posse quia hic non agitur de qualicumque interesse, sed de interesse iuridico scilicet de interesse quod lex tuetur.

Rev.mus secundus Consultor instat et asserit interesse *iuridicum* fundari posse saltem in ipsis verbis canonis, quia dicitur «eos *omnes* audiat»; quare norma emolliri debet aliquo modo, v. gr. dicendo «... nisi impossibile vel *inopportunum sit*, eos omnes audiat, etc.».

Rev.mus quartus Consultor proponit: « ... mediis legitimis eos omnes audiat etc...».

Rev.mus quintus Consultor proponit: « ne negligat audire eos omnes quorum interest ».

Rev.mus octavus Consultor proponit: « audiat eos quorum iura laedi possunt ». Relator et Rev.mus Secretarius accipiunt suggestionem Rev.mi octavi Consultoris et proponunt hanc redactionem commatis: « eos omnes saltem audiant quorum iura laedi possunt » (placet omnibus).

Paragraphus 2^a canonis omnibus placet prout est in schemate Relatoris.

Canon 6

« § 1. Recepta petitione vel recursu ad decretum obtainendum, superior decretum intra sexaginta dies ferat; quod si non fecerit, et petitor vel recurrens scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad superioris officium pervenit, petitio vel recursus pro rejecto habetur, ita ut recursus adversus rejectionem proponi possint quasi eo die per decretum prolata sit.

§ 2. Lex particularis potest de hac re terminos breviores statuere, vel etiam, quod attinet ad nonnulla gravioris difficultatis negotia, longiores ».

Quoad § 1: Rev.mus quintus Consultor proponit ut dicatur: « ... instantia ad superiorem pervenit » loco « *ad superioris officium pervenit* » (omnibus placet).

Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur: « ... tamquam si eo die » loco « *quasi eo die* » (omnibus placet).

Quoad § 2: Relator initio proponit hanc additionem: « *Lex particularis, de qua in can. 4, potest etc...* » (omnibus placet).

Canon 7

« § 1. Qui decretum fert, id praे oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege et generali et particulari, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis; quod si forte gravissima ratio obstet, ne motiva patefiant, haec in secreto documento exprimantur, quod superiori petenti est ostendendum ».

Rev.mus quartus Consultor petit ut in fine § 2 dicatur expresse quod documentum secretum ostendi debet non solum superiori petenti, sed etiam tribunal.

Relator censet quod hoc in casu sub nomine « *superior* » veniat etiam tribunal, tamen claritatis causa comma potest ita mutari: « ... in secreto docu-

mento exprimantur, quod ei qui de recursu adversus decretum videre debet, est ostendendum ».

Propositio Relatoris omnibus placet.

Canon 8

« § 1. Decretum statim vim habet, postquam ei, ad quem destinatur, ad normam cann. 1716-1722 Codicis Iuris Canonici est notificatum, vel aliter scripto intimatum; quod si gravissima obstet ratio ne scriptus decreti textus tradatur, potest superior iubere ut decretum ei coram duobus testibus legatur, processu verbali redacto ab omnibus praesentibus subscribendo.

§ 2. Si autem is, ad quem decretum destinatur, rite vocatus ad decretum accipiendo vel audiendum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit, decretum pro intimato habetur».

Quoad secundam partem § 1 Rev.mus quintus Consultor censet esse nimis grave quod superior possit negare textum scriptum decreti ei ad quem decretum destinatur.

Relator respondit talem normam positam esse pro casibus revera gravissimas pro illis regionibus in quibus Ecclesiae negatur libertas.

His dictis suffragatur placeatne can. 8: omnibus placet.

Deinde examinatur Caput III schematis quod inscribitur: « De remediis adversus decreta ».

Circa inscriptionem huius capituli Rev.mus primus Consultor admonet in parte generali de processibus locutionem « de remediis » substitutam esse per locutionem: « de impugnationibus ».

Relator proponit ut Caput III inscribatur: « De recursibus adversus deputata » (omnibus placet). In textu canonum adhibenda sunt locutiones « recursus adversus decretum », « recursus ad petendam reparationem damnorum » vel locutiones similes, et supprimenda sunt locutiones « actio contra decretum », « actio de damnis », etc.

Rev.mus octavus Consultor petit ut norma quae suadet compositionem amicalem controversiarum ponatur initio capituli de recursibus adversus deputata, ita ut appareat clare mentem legislatoris esse ut recursus, quantum fieri potest, evitentur.

In schemate Relatoris autem de compositione amicali sermo fit in can. 10 et in can. 19, § 2, sed melius est si substantia illarum normarum anticipetur in hac prima norma initio ponenda, in qua fuse habeantur omnia quae pertinent ad compositionem amicalem.

Propositio Rev.mi octavi Consultoris omnibus placet et Relator dicit se paraturum novum canonem, qui in proxima adunatione examinabitur.

Canon 9

«Adversus decreta extra iudicium lata non datur actio iudicialis coram tribunalibus ordinariis, etiamsi quis contendat decreto ius suum esse laesum et damna esse reparanda; dantur autem, ad normam canonum qui sequuntur, recursus hierarchicus ad superiorem eius, qui decretum tulit, et recursus ad tribunalia administrativa».

Rev.mus secundus Consultor animadvertis locutionem «recursus hierarchicus» esse novam in lege, ad indicandum recursum qui fit ad superiorem hierarchicum. Oporteret rem clarius explicare ita ut evitentur confusiones.

Relator proponit ut comma ita mutetur: «... dantur autem ad normam canonum qui sequuntur, recursus ad superiorem hierarchicum eius, qui decretum tulit, etc....».

Propositio Relatoris omnibus placet.

Adunatio III^a
die 5 novembris 1971 mane habita

Relator praebet Consultoribus novam formulam canonis circa compositionem amicalem, prout suggestum fuit heri a Rev.mo octavo Consultore:

Canon 9

«§ 1. Valde optandum est ut, quoties quis gravatum se decreto putet, non fiat inter eum et decreti auctorem contentio, sed inter ipsos de aequa solutione quaerenda tractetur, gravibus quoque hominibus ad mediationem vel consilium forte adhibitis, ita ut vel per voluntariam decreti emendationem vel per aequam compensationem vel per aliam idoneam viam controversia vitetur vel dirimatur.

§ 2. Quod si adversus decretum recursus propositus sit, superior vel iudex, qui de recursu videt, recurrentem et decreti auctorem hortetur, quandcumque spem boni exitus perspicit, ad eiusmodi solutiones quaerendas».

Rev.mus quintus Consultor censet locum proprium et aptiorem huius normae esse initio omnium canonum de procedura administrativa; at Relator et Rev.mus Secretarius tenent hanc normam hic suum locum apte habere, quia logice et chronologice compositio promoveri debet post latum decretum.

Rev.mus secundus Consultor censet esse incongruum ut in § 2 sermo fiat de iudice, antequam habita sit norma quae dicat de constitutione tribunalis administrativi.

Relator censet talem incongruentiam disparere si hic canon sit can. 9 bis.

Committitur Relatori ut in novissima redactione schematis ipse videat de aptiore dispositione canonum.

Canon 10

«§ 1. Antequam quis recursum proponat adversus decretum, debet ab ipso decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto petere; si decreti auctor intra triginta dies, ex quo haec petitio ad suum officium pervenit, decretum emendet, termini ad recurrendum decurrunt ex novi decreti intimatione; secus decurrunt ex tricesimo die.

§ 2. Petitio, de qua in § 1, debet fieri intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto ad normam can. 8 intimato, nisi lex particularis alium terminum statuat.

§ 3. Normae huius canonis non valent de impugnando decreto, quo superior de recursu hierarchico decidat».

Plures Sodales censem terminum triginta dierum concessum auctori decreti pro revocatione vel emendatione ipsius decreti esse nimis brevem.

Relator proponit ut concedatur ipsi auctori decreti facultas prorogandi terminum ad recurrendum, dummodo tamen executio decreti suspensa maneat.

Propositio Relatoris omnibus placet et ipsi committitur ut proponat novam redactionem can. 10.

Canon 11

«Recursus ad superiorem hieraticum regitur vigentibus legibus, salvis praescriptis cann. 4-10, 12, 13 § 1 et 20 huius legis; recursus autem, nisi lex aliter caveat, proponendus est intra peremptorium terminum decem dierum utilium».

Rev.mus quartus Consultor vellet ut clare et expresse in hoc canone dicatur:

a) recursus hieraticus decreti executionem suspendit nisi superior aditus aliud statuat;

b) superior qui recursum videt potest decretum non solum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, emendare, subrogare vel ei obrogare.

Haec omnia clare habebantur in cann. 9 § 1 et 10 praecedentis schematis III^r, dum ex praesenti can. 11, prout proponitur, huiusmodi normae colligi debent ex locis CIC ibidem collatis.

Relator accipit propositionem Rev.mus quartus Consultor, tamen ad redactionem canonis quod attinet ipse censem exspectandas esse deliberationes

Coetus circa cann. 18 et 22 qui agunt de potestate tribuenda tribunali administrativo circa decreta.

Attamen Rev.mi septimus et tertius Consultores non approbant ipsam substantiam can. 11, quidquid sit de eiusdem redactione. Ipsi scilicet censem non posse admitti tamquam principium generale quod recursus hierarchicus decreti executionem suspendat, quia secus gravis iactura gubernio dioecesis obveniret. Ratio enim boni publici, dicit Rev.mus primus Consultor, postulat ut recursus sit in devolutivo et Rev.mus septimus Consultor potius postulat tamquam principium generale ut recursus sit semper in devolutivo nisi lex vel superior aditus suspendat executionem decreti.

Relator vero censem ad nihil valere admissionem recursus nisi simul suspendatur executio decreti; quod si peculiaris ratio boni publici aliud suadeat, providetur per clausulam «nisi superior aditus aliud statuat».

Suffragatur recursus hierarchicus decreti executionem suspendat:

Placet n. 1; non placet n. 10; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Suffragatur num superior aditus aliud statuere possit gravibus de causis:

Omnes Sodales affirmative respondent.

Adunatio IV^a
die 5 novembris 1971 vespere habita

Relator praebet Sodalibus novam formulam cann. 10, 11 et 11 bis.

Canon 10

«§ 1. Antequam quis recursum proponat adversus decretum, debet ab ipso decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto petere.

§ 2. Intra triginta dies, ex quo petitio de qua in § 1 ad ipsum pervenerit, decreti auctor potest terminum ad recurrentum, non tamen ultra tres menses, scripto prorogare, dummodo decretum nullo modo interim exsequatur.

§ 3. Intra eosdem triginta dies, de quibus in § 2 aut intra terminum ad normam eiusdem paragraphi prorogatum, potest decreti auctor scripto decretum emendare aut petitionem reicere, quibus in casibus termini ad recurrentum decurrunt ex novi decreti intimatione.

§ 4. Si decreti auctor nihil fecerit de iis, quae in §§ 2 et 3 enuntiantur, termini ad recurrentum decurrere incipiunt ex trigesimo die, ex quo petitio de qua in § 1 ad ipsum pervenit; post tricesimum autem diem recursus iam proponi potest, etiamsi prorogatio ad normam § 2 facta sit.

§ 5. Petatio, de qua in § 1, debet fieri intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto ad normam can. 8 intimato, nisi lex particularis longiorem terminum statuat.

§ 6. Normae huius canonis non valent de impugnando decreto, quo superior de recursu hierarchico decidat ».

a) Rev.mus octavus Consultor censet in § 2 adesse aliquam contradictionem, quia si recursus sunt semper in devolutivo, ad quid prorogatio terminorum ad recurrendum contra decretum quod iam executum est et quomodo suspendi potest executio decreti quae iam facta est?

Relator responderet decreta esse executiva *de iure*, sed de facto accidere potest quod non immediate exequantur et in moris executionis intervenire potest decretum suspensionis; praeterea extare quasdam materias, in quibus ipse Codex iam statuit recursum esse in suspensivo.

b) Rev.mus quartus Consultor dicit esse incongruum quod quis possit proponere recursum post tricesimum diem quando auctor terminum ad recurrendum prorogavit, prout statuit in secunda parte § 4.

Relator, una cum aliis Sodalibus, concordat cum Rev.mo quarto Consultore et ideo secunda pars § 4 supprimitur.

c) Rev.mus octavus Consultor non vult redire ad principium quod omnis recursus sit in suspensivo, tamen, dicit ipse, bonum esset si alicui auctoritati tribueretur facultas suspendendi executionem decreti antequam proponatur recursus.

Rev.mus nonus Consultor valde commendat hanc propositionem Rev.mi octavi Consultoris, quia nostris temporibus in dies crescit exigentia tutelae iurium personarum, praesertim quando agitur de provisionibus quae poenam sapiunt.

Alii Sodales plus minusve cauti sunt circa hanc propositionem Rev.mi octavi Consultoris et reservant suam sententiam postquam Relator aliquam concretam solutionem proponat.

Relator dicit quod propositio Rev.mi octavi Consultoris posset ad effectum deduci ita complendo § 6 praesentis can. 10:

«§ 6. Normae huius canonis non valent de impugnando decreto, quo superior de recursu hierarchico decidat, neque *impeditiunt ne petitio ad decreti executionem suspendendam ad normam cann. 11 § 2 et 18 proponatur coram superiori vel tribunali, cui recursus suo tempore forte mittetur*».

Petitur ut talis petitio suspensionis executionis proponatur prius ad ipsum auctorem decreti et postea, si ille obnuerit, proponatur coram superiore vel tribunali (Rev.mus octavus Consultor), vel saltem ut notitia detur auctori decreti de interposita petitione suspensionis executionis (Rev.mus sextus Consultor).

Rev.mi septimus, quartus et tertius Consultores animadvertisunt facultatem suspendendi executionem decreti, alii concessam qui non sit ipse auctor decreti, esse aliquid omnino reiiciendum ob iacturam quae inde obveniret gubernio dioecesis et ob saporem diffidentiae erga aequitatem episcopi. Auctor decreti enim, antequam decretum ferat, debet necessarias noticias et probationes exquirere; debet omnes audire quorum iura laedi possunt et ita huiusmodi (cfr. can. 5). Si tam facile datur facultas suspendendi executionem decreti, signum est quod nimis in lege diffiditur de aequitate episcopi.

Relator monet Sodales quod haec facultas non excedit illam quae iam nunc in CIC conceditur; semper enim, secundum vigentes leges, quis petere potest a superiore hierarchico ut executio decreti suspendatur. Ad summum decerni potest ut facultas suspendendi executionem decreti tribuatur tantum superiori hierarchico, non vero tribunali administrativo.

Rev.mi sextus et secundus Consultores hanc solutionem proponunt: in § 1 fiat haec additio: « Antequam quis recursum proponat adversus decretum, debet ab ipso decreti auctore *suspensionem* et revocationem vel emendationem decreti scripto petere ».

Propositio Rev.morum sexti et secundi Consultorum omnibus placet.

Praeterea Rev.mi secundus et octavus Consultores proponunt ut si auctor decreti noluerit suspendere executionem decreti, eadem petitio suspensionis proponi possit coram superiore vel tribunali cui recursus suo tempore forte mittetur.

Haec ultima propositio suffragatur per partes:

placeatne ut petitio suspensionis executionis decreti proponatur coram superiore: placet n. 9; non placet n. 3.

placeatne ut petitio suspensionis executionis decreti proponatur coram tribunali: placet n. 6; non placet n. 6.

Ad ordinem quod attinet, Rev.mus secundus Consultor proponit ut § 4, can. 10, ponatur post § 1 (omnibus placet).

Canon 11

« § 1. Qui se decreto gravatum esse contendit, potest intra peremptorium terminum decem dierum utilium ad superiorem hierarchicum eius, qui decretum tulit, recurrere, servatis praescriptis, quae de hac re in Codice Iuris Canonicis aliisque canoniciis legibus statuuntur.

§ 2. Etiam in casibus, in quibus recursus non suspendit ipso iure decreti exsecutionem, potest tamen gravi de causa superior iubere ut exsecutio suspendatur, dummodo ne recursus post transactum terminum sit propositus ».

Canon 11 bis

« Superior, qui de recursu videt, nisi lex minores vel maiores potestates ei tribuat, easdem habet, quas decreti auctor in ea re habebat; potest itaque decretum non solum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, emendare, subrogare vel ei obrogare ».

Canones 11 et 11 bis omnibus placent.

Canon 12

« § 1. Adversus decretum extra iudicium datum, etiamsi agatur de decreto quo recursus hieraticus deciditur, potest is, cuius interest, ad tribunal administrativum recurrere, si contendat violatam esse legem in decidendo vel in procedendo, vel generalia iuris aequitatis canonicae principia non esse servata, vel motiva in decreto allata non esse vera.

§ 2. Recursus proponendus est intra peremptorium terminum triginta dierum utilium ».

Aliqui Sodales timent ne ex hac § 1 tribunali tribuatur potestas videndi de merito decreti.

Rev.mus Secretarius et Relator excludunt talem possibilitatem et revocant discussiones et suffragationes factas in Sessione praecedenti circa hanc quaestionem (cfr. Relationem praecedentis Sessionis, pp. 91-92).

Rev.mus sextus Consultor tamen instat et censet quod locutio « violatam esse legem in decidendo » sit obscura et inducere potest iudicem ad videndum de merito decreti; quapropter Relator et Rev.mus quartus Consultor propnunt ut comma ita redigatur: «... si contendat errorem iuris adfuisse in decidendo vel violatam esse legem in procedendo ».

Placet n. 11; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Adunatio V^a
die 6 novembris 1971 mane habita

Canon 13

« § 1. Si decretum, quod sit illegitimum ad normam can. 12, § 1, ius alicuius laeserit, laesus potest coram tribunali administrativo de damnis agere.

§ 2. Ad actionem proponendam, de qua in § 1, lex particularis statuit terminum utilem, non tamen ultra annum, qui ex die quo damnum factum sit decurrat; terminus autem tandiu suspensus manet, quandiu coram tribunali

administrativo adversus idem decretum pendeat recursus, quocum actio de damnis cumulata non sit.

§ 3. Etsi decretum confirmatum vel mutatum sit a superiore ad normam can. 11, de damnis tamen, si forte debeantur, auctor primi decreti, vi munera sui, responderet; superior autem, qui decretum ad normam can. 11 mutavit, eatenus responderet, quatenus ex eius decisione damna obvenerint».

Canon 13 omnibus placet, salvis emendationibus necessariis quod attinet ad terminologiam, ut vitentur locutiones «actio de damnis» et similia.

Canon 14

«Unaquaeque conferentia episcopalis nationalis tribunal administrativum primi gradus stabiliter constituat, vel, si opus sit, plura per territorium distributa, quae videant de recursibus adversus decreta ab Episcopis vel ab inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata».

Canon 14 omnibus placet, suppresso tamen verbo «nationalis».

Canon 15

«§ 1. Conferentia episcopalis nationalis potest etiam unum tribunal administrativum secundi gradus constituere.

§ 2. Quod si fecerit:

a) adversus sententiam primi gradus appellari potest vel ad tribunal secundi gradus vel ad Signaturam Apostolicam; si tamen alias ad aliud tribunal appelleat, de appellatione videt Signatura Apostolica, nisi haec aliter decernat;

b) adversus duplarem sententiam conformem non datur appellatio ad Signaturam Apostolicam».

Canon 15 omnibus placet, suppresso tamen verbo «nationalis».

Canon 16

«Signatura Apostolica videt:

a) in primo gradu de recursibus adversus decreta lata vel approbata a conferentiis episcopalibus nationalibus earumque organis, a conciliis particularibus, a Sanctae Sedis dicasteriis, et generatim a quolibet, qui superiorem infra Romanum Pontificem non habeat, vel ab eorum delegatis;

b) in secundo vel tertio gradu de appellationibus adversus sententias latas a tribunalibus, de quibus in cann. 14 et 15».

Canon 16 omnibus placet.

Canon 17

«§ 1. Tribunal administrativum primi gradus iudicat per collegia trium iudicium; tribunalia secundi gradus per collegia trium vel quinque iudicium.

§ 2. Si difficile sit tribunal collegiale semper paratum habere, conferentia potest statuere ut omnia vel nonnulla iudicia primi gradus ad iudicem unicum deferantur; quod si qua pars renuat, iudicium ex officio ad Signaturam Apostolicam in primo gradu deferatur.

§ 3. Tribunal potest semper iubere ut in iudicium interveniat promotor iustitiae, si id utile censeat ad bonum publicum tutandum.

§ 4. Iudices et promotor iustitiae sint idonei sacerdotes, qui in decreto ferendo vel in recursibus proponendis vel iudicandis nullam partem habuerint, neque ad eam dioecesim pertineant, in qua decretum latum est; necessitate suadente potest unus ex iudicibus esse laicus, nisi iudicandum sit de recursu aduersus decretum ab Episcopo latum ».

In § 2 addendum est verbum «episcopalum», ita ut dicatur «Conferentia episcopalum».

Relator proponit ut secunda pars eiusdem § 2 corrigatur hoc modo: «quod si qua pars renuat, iudicium ex officio ad tribunal administrativum immediate superius in primo gradu deferatur». Si enim in eadem natione constitutum sit tribunal administrativum secundi gradus, non est necesse ut tale iudicium deferatur ad Signaturam Apostolicam.

Propositio Relatoris omnibus placet.

Praeterea Relator proponit ut secunda pars § 4 ita corrigatur: «necessitate suadente potest unus ex tribunalis collegialis iudicibus esse idoneus diaconus, vel etiam laicus, nisi etc...» (omnibus placet).

Canon 18

«Si recurrens id petat et gravis causa suadeat, tribunal potest iubere ut pendente processu exsecutio decreti suspensa maneat».

Rev.mus septimus Consultor censet non esse tribuendam tribunali facultatem suspendendi executionem decreti.

Rev.mi quartus, tertius et secundus Consultores petunt ut clare appareat recursum ad tribunal per se non suspendere executionem decreti; attamen parte petente et gravi de causa, tribunal potest suspendere executionem decreti, dummodo tribunal patefaciat motiva huius suspensionis.

Relator et Rev.mus primus Consultor censent quod ex lege generali tribunal tenetur exprimere motiva suspensionis executionis decreti, attamen ad claritatem id in praesenti canone expresse dici potest.

Rev.mus sextus Consultor vellet ut tale decretum suspensionis executionis impugnari posset, sed Relator dicit hoc non esse possibile nisi post editam sententiam.

Relator ita proponit redactionem canonis: «Si recurrens id petat et gravis causa suadeat tribunal decreto motivis praedito iubere potest ut pendente processu executio decreti suspensa maneat».

Suffragantur singula commata canonis:

- si recurrens id petat et gravis causa suadeat (placet omnibus);
- tribunal decreto motivis praedito (placet omnibus);
- iubere potest ut pendente processu executio decreti suspensa maneat (placet n. 8; non placet n. 3; se abstinet a sententia ferenda 1).

Rev.mi septimus et primus Consultores petunt ut tribunal antequam suspendat executionem decreti audiat auctorem ipsius decreti et promotorem iustitiae.

Relator meminit quod ex can. 17 § 3 non in omnibus iudiciis adest promotor iustitiae, ideo canon potest ita redigi:

«Si recurrens id petat et gravis causa suadeat, tribunal, auditio saltem decreti auctore, motivis expressis decernere potest ut pendente processu executio decreti suspensa maneat».

Formula omnibus placet.

Relator quaerit num pro illis casibus, in quibus ius vigens statuit suspendi ipso iure executionem decreti ob interpositum recursum apud superiorem hie-rarchicum, idem effici debeat cum proponatur recursus apud tribunal admini-strativum.

Omnes Sodales respondent affirmative et committunt Relatori ut redigat formulam quae erit § 2 can. 18.

Canon 19

«§ 1. Superior, adversus cuius decretum recursus primum propositus est, iisque omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, citari debent, et eadem iura habent, quae pars conventa in ordinariis iudiciis.

§ 2. Superiorem et recurrentem iudex hortetur, quandocumque spem boni exitus perspicit, ut vel per voluntariam decreti emendationem vel per ae-quam compensationem vel alio idoneo modo controversia ante sententiam di-rimatur».

Placet omnibus § 1 huius canonis.

Paragraphus 2^a supprimitur cum eius materia absorpta sit in can. 9 § 2.

Canon 20

«§ 1. Si adversus idem decretum intra terminos iure statutos recursus propositi sint et ad superiorem hierarchicum et ad tribunal administrativum competens, unius tribunalis administrativi est de omnibus recursibus iudicare.

§ 2. In quolibet alio casu superior, coram quo pender recursus hierarchicus, potest recursum ad tribunal administrativum competens remittere, si consentiant et decreti auctor et recurrens».

Quoad § 1. Rev.mus quartus Consultor animadvertisit quod in praecedentibus canonibus superiori hierarchico data est potestas maior quam tribunali circa decretum, quia superior potest videre de ipso merito decreti. Ideo § 1 can. 20 debet conformari huic praeminentiae concessae superiori.

Relator concordat cum Rev.mo quarto Consultore et proponit ut § 1 ita in fine mutetur: «... unius superioris hierarchici est de omnibus recursibus iudicare» (omnibus placet).

Placet omnibus § 2.

Canon 21

«§ 1. In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, Codicis canones de iudiciis in genere (CIC Lib. IV, pars I, sect. I), servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus; item servanda sunt praescripta legum particularium, quae secundum hanc legem lata sint.

§ 2. Tribunal potest, decreto motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva tamen iustitia, consulat.

§ 3. Normae Codicis Iuris Canonici de contumacia et de restitutione in integrum propter neglectum legis praescriptum applicari nequeunt in iudiciis coram tribunalibus administrativis».

Canon 21 omnibus placet.

Canon 22

«§ 1. Tribunal administrativum potest decretum, quod illegitimum ad normam can. 12 § 1 iudicet, rescindere vel irritum declarare, non autem emendare vel aliter mutare.

§ 2. Si actio de damnis proposita sit ad normam can. 13, tribunal debet de damnis statuere; quodsi nullus propositus sit recursus intra terminum in can. 12 § 2 statutus, tribunal potest quidem de decreti legitimitate vel illegitimita-

te videre, non autem ad decretum rescindendum vel irritum declarandum, sed tantummodo ad quaestionem de damnis definiendam».

Canon 22 omnibus placet.

In § 2 tamen dici debet «petitio de damnis» loco «actio de damnis» et in eadem § 2 collatio can. 12 debet ita fieri: «can. 12, §§ 1 et 2».

Examine schematis ita peracto, Relator proponit illas quaestiones, quae, ut initio dictum est, adhuc considerandae sunt:

1) *De recursu a delegato ad delegantem*

Relator censet iure vigenti recursum a delegato fieri debere ad delegantem. Si ita est nulla nova norma in hoc novum schema inserenda est circa recursus a delegato ad delegantem.

Sodales autem malunt ut expresse dicatur in hoc schemate quod recursus a delegato fit ad delegantem, ita ut per hanc expressam mentionem, quantum fieri potest, evitentur recursus directe ad Sanctam Sedem et potius proponantur apud Episcopum, qui, ordinarie, est auctor delegationis.

Relator proponit hanc formulam, quae erit canon 10 bis:

«§ 1. Si decretum latum sit ex potestate delegata, omnia, quae in can. 10 decreti auctori tribuuntur, ad delegantem referri debent.

§ 2. Quodsi petitio de qua in § 1 eius canonis ad delegatum missa est, hic debet rem statim ad delegantem deferre; termini autem de quibus in § 2 ex die quo petitio ad delegatum pervenit sunt computandi».

Formula omnibus placet.

2) *De transitu a tribunali administrativo ad superiorem hierarchicum*

Omnes Sodales malunt ut detur possilitas transeundi a tribunali administrativo ad superiorem hierarchicum, dummodo partes consentiant.

Committitur Relatori ut redigat formulam canonis.

Num quid de re poenali inserendum sit in novam legem de procedura administrativa.

Sodales communiter censem totam proceduram de re poenali contineri debere in speciali processu poenali a competenti Coetu Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo praeparato.

Tandem Sodales committunt Relatori ut novissimum schema canonum redigat, quod sit conforme deliberationibus in hac Sessione factis, cum facultate tamen disponendi materiam, si opus fuerit, secundum novum ordinem sive quoad capita, sive quoad ipsos canones et coordinandi normas inter se.

His omnibus dictis finis Sessioni imponitur.